

(32. Episcopus Titularis non est creandus, nisi vere urgeat necessitas. Clementin. *In plerisque* cap. 5. *de Elect.* et Glossa *ibid.* verb. *Vagationis*, ubi inhærendo d. Decretali invehitur in eos, qui anhelant ad Vicarias Episcoporum, et Ecclesias Titulares; et ibidem in verb. *Religiosos* dicit, hunc abusum maxime vigere in Religiosis, qui ad hoc laborant interdum etiam importune, et per corruptelas, ut canere possint cum Psalmista *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus, Psalm. 123.* et sic cum Glossa Fagnan. l. c. n. 47. Ursaya in *Miscellaneo sacro, et prof.* p. 2. verb. *Episcopus* n. 37.

(33. Episcopus Titularis Canonicatum obtinens in Ecclesia Cathedrali potest, et debet in ea uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est Rochetto supra subtanam, et Mantelletto violacei coloris. S. Cong. Rituum in Compostellana 11 Julii 1617. (34. Et debet præcedere omnibus aliis Canonicis, et Dignitatibus, tam quoad stallum, quam quoad functiones cantandi Missas, et omnia alia. Sac. Congreg. Rituum in Ragusina 22 Junii 1594. in dicta Compostellana 11 Julii 1617. et in Calaguritana 13 Novembr. 1621. (35. Episcopus Titularis qui est Canonicus subest Visitationi Ordinarii adinstar aliorum Canonicorum, et tenetur ad observantiam Legis Diocesanæ, aliter subjicitur pœnæ, etiam Excommunicationis, in ea contentæ. Sac. Congr. Episcop. 24 Jul. 1632, apud Card. Petram t. 1. *Comment. in Constitut. 2. Leonis IX.* sect. 5, n. 94. (36. Familiares etiam Episcopi Titularis gaudere debent privilegio Fori, ita tamen ut conveniri debeant, et sint puniendi ab Ordinario loci, ubi degunt, non ab Episcopo, seu Archiepiscopo Titulari. Sac. Cong. Immunit. 17 Januar. 1628. (37. Beneficia, et Pensiones non vacant in eo, qui ad Titularem Episcopatum assumitur, cui etiam de novo conferri possunt præsertim simplicia. Sac. Congreg. Episcop. in Elboren. 22 Decembris, 1640, apud Nicol. in *Lucubrat.* tom. 2, l. 3, tit. 5, n. 43. (38. Episcopus Titularis est de jure vocandus ad Concilia generalia. Vid. Verb. *Concilium* num. 29. (39. Episcopus Titularis administrator alterius Ecclesiæ, quas functiones in illa facere possit, et quomodo ei teneantur assistere Canonici Cathedralis? Sac. Congr. Rituum in Sarsinaten. Funct. Episcopatum 22 Augusti 1723. Ponente Card. Paulutio, ubi fuerunt proposita, et resoluta sequentia dubia.

« I. An Episcopus Civitatis Ducalis Modernus Administrator Ecclesiæ Sarsinaten. in functionibus Pontificalibus gaudeat omnibus illis præeminentiis et prærogativis, quibus fruuntur, et gaudent omnes alii Episcopi in propriis Diocesisibus in casu, etc., et quatenus *negative*?

« II. An dictus Episcopus, et Administrator amovibilis Ecclesiæ vacantis, dum cantat Missam, et Vesperas in Pontificalibus, possit sedere super Cathedra Episcopali elevata quatuor gradibus parata cum Baldachino, ac Postergali, et Baculo Pastoralis; vel

sedere debeat suoger Faldistorio prope Altare sine Baculo?

« III. An concedere possit Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate Apostolica?

« IV. An ei, dum assistit Missæ solemnæ ab alio cantatæ, debeant Canonici facere Circulos ad Kyrie eleison, Gloria in Excelsis, Credo, Sanctus, et Agnus Dei; Tuncque ubinam debeat sedere?

« V. An fieri debeat anniversarium suæ consecrationis, cum Missa cantatur per Capitulum, et Clerum, ejusque nomen debeat in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes?

« VI. An, dum Administrator Missam cantat in Pontificalibus, debeat poni super Altare septimum candelabrum cum candela accensa?

« VII. An, dum idem cantat Missam in Pontificalibus, debeant omnes Canonici Sacris paramentis indui, vel tres tantum fungente Officiis Diaconi, Subdiaconi, et Presbyteri assistentis?

« VIII. An, dum vadit ad Cathedram, debeat sumere Cappam magnam in Ædibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu Ecclesiæ, seu Presbyterii?

« IX. An Canonici eum accessurum ad Cathedralium debeant omnes excipere, in dictis Ædibus, vel soli tres, aut quatuor ad portam Ecclesiæ?

« X. An diebus Festis fieri debeant publice Orationes pro novi Episcopi electione ad formam Conc. Trident. et Cæemonialis Episcoporum?

(40. Supradicta die 22 Augusti 1722, responsum fuit.

« Ad primum, *Negative*.

« Ad secundum, *Negative* quoad primam partem; *Affirmative* quoad secundam.

« Ad tertium, *Negative*.

« Ad quartum, *Negative*, et sedeat in primo Stallo Chori.

« Ad quintum, *Negative*.

« Ad sextum, *Negative*.

« Ad septimum, *Negative* quoad primam partem; *Affirmative* quoad secundam.

« Ad octavum, Arbitrio Administratoris in casu, etc.

« Ad nonum, decere in casu de quo agitur ut omnes accedant.

« Ad decimum, *Affirmative*. »

(41. Pro Episcopo Titulari obtinenti Canonicatum in Cathedrali Asculana die 20 Mart. 1730, in Sacra Congr. Rituum per Card. Picum a Mirandula propositis octo sequentibus dubiis, resoluta fuerunt ut infra:

« Dub. I. An post delatam per Subdiaconum assistenti Episcopo locali Pacem, debeat illa deferri per d. Subdiaconum Episcopo Titulari; antequam Canonici Assistentes in Throno illam recipiant ab Episcopo locali? *Negative*.

« II. An Canonicus Episcopus Titularis in Missis, et Vesperis cantatis cum assistentia Episcopi localis teneatur discedere a Stallo una cum reliquis Canonicis pro faciendis

consuetis circulis præscriptis a Cæemoniali Episcoporum? *Affirmative*.

« III. An exercente Pontificalia Episcopo locali, liceat Episcopo Titulari assistenti in Stallo cum reliquis Canonicis, deferre Pluviale, vel potius incidere debeat cum Rochetto, Mantelletta, et habitu violaceo? » *Affirmative*, exercente Episcopo locali Pontificalia; et assistente Capitulo in paramentis Sacris.

« IV. An una cum Pluviali possit quoque deferre Mitram Episcopalem absque consensu Episcopi localis? Posse, accedente consensu Episcopi.

« V. An, et cujus qualitatis debeat esse Mitra gestanda per d. Episcopum? Mitram debere esse lineam.

« VI. An in casu concessionis usus Mitræ, ut supra, debeat Episcopus Titularis illam per seipsum imponere, et amovere a capite, vel potius ad hunc effectum liceat uti opera alterius? Per seipsum in casu ut supra.

« VII. An liceat Episcopo Titulari canendi Missas, et Vesperas tamquam Canonico in propria hebdomada uti Faldistorio, et induentis Pontificalibus, seu potius illas canere debeat, sedendo in scamno, prout practatur cum reliquis Canonicis, et absque Pontificalibus indumentis. » Ad mentem, et mens est, ut in Missis de Turno abstineat, et subroget alium; In solemnioribus vero non posse, nisi de licentia Episcopi.

« VIII. An in tali casu teneatur petere licentiam ab Episcopo locali? » jam provisum. Et quo ad thurificationem, Episcopum Titularem esse thurificandum post Archidiaconum, et Canonicos Throno assistentes.

(42. Episcopis Titularibus præcedunt Episcopi locorum etiamsi posteriores sint Consecratione. Frances *de Eccles. Cathedral.* cap. 42. num. 20. et 21. Ursaya in *Miscellaneo sacro et profano*, part. 2. verb. *Episcopus* num. 40. (43. Episcopus, cui datus est Coadjutor, potest esse coadjutor alterius; Sac. Congreg. Consistor. in Constantiensi Coadjutorie 16 Septembris. 1722. (44. Episcopus suffraganeus datus Episcopo cum facultate exercendi Pontificalia Officia in Civitate, et Diocesi, de expresso consensu, et licentia pro tempore existentis Episcopi non potest eadem Pontificalia exercere, ut exercuit vivente Episcopo, post illius mortem Sede vacante, et Capitulo contradicente. Sac. Cong. Concil. in Vilnen. 22 Febr. 1631. (45. Unde mortuo Episcopo, illius suffraganeus Ordines conferre non potest. Sac. Cong. Concil. in Constantiensi 4 Febr. 1645. (46. Alia de Episcopo suffraganeo, Vid. verb. *Coadjutor* a n. 67. ad num. 103. ubi late de ipso.

ADDITIONES AUCTORIS.

(47. Episcopi suffraganei, annua præstatione super mensa Episcopali ipsis constituta, provideri debent de congrua sustentatione. (48. Benedictus XIV. Constitut. incip. *Cum a nobis*. (49. Episcopi Titulares valide, sed illicite Ordines conferunt sine licentia Ordinarii, in cujus Diocesi degunt. Idem *ibid.* (50. Episcopus Titularis jurisdi-

ctionem exercere potest in subditos Ecclesiæ sibi assignatæ, si ad Christianam Religionem convertantur. Idem *ibid.*

(51. Episcopi ex ordinibus Monasticis, et mendicantibus assumpti, habitum proprii Ordinis visibilem gestare debent; Benedictus XIV. Constitut. incip. *Biennium* § 3. quæ extat in supplemento tomi 3. sui Bullarii.

(52. Id tamen non procedit quoad Canonicos Regulares, et Clericos Regulares. Idem *ibid.* Sed recte observatur a Fratibus Professis Militiæ Equestris S. Joannis Hierosolymitani. Idem *ibid.*

(53. Quoad obligationem Episcoporum exemptorum, et Sanctæ Sedi immediate subditorum, eis indictam a Concilio Tridentino sess. 24. *de Reformat.* cap. 2. sibi eligendi Metropolitanum, ad cujus Synodum Provinciale accedere teneantur, et quæ ibi ordinata fuerint observare et observari facere, Bened. XIV. *de Synodo Dioc.* lib. 13. c. 8 n. 13. et seq. hæc refert: « Tridentinæ sanctionis habita fuit ratio in Concilio Romano coacto anno 1725. Cumque eidem aliqui Episcopi interfuissent, qui a Metropolitanis jurisdictione immunes, et Sanctæ Sedi immediate subjecti, Archiepiscopum sibi non delegerant, ad cujus Synodum Provinciale accederent, jussi sunt, canonicis etiam pœnis indictis, electionem hujusmodi statim perficere; Idemque absentibus significatum fuit, ac insuper particularis instituta Congregatio, quæ Decretum hac de re conditum exequendum curaret. Hæc Congregatio habita fuit die 28 Maii ejusdem anni 1725. editaque ab ipsa sunt consultissima Decreta, quæ cum a nullo adhuc, quem sciamus, Auctore impressa fuerint, optimum ducimus ea huic capiti inserere.

« Examinato diligenter Decreto Sacri Concilii Tridentini sess. 24, cap. 2, de electione Metropolitanis per Episcopos, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, ad effectum perducenda, concordibus, et uniformibus votis fuit relatum, ut sequitur:

« Primo, Archiepiscopos, qui non habent Suffraganeos, non teneri eligere Metropolitanum ad effectum conveniendi in ejus Concilio Provinciali.

« Secundo, sex Cardinales Episcopos urbium Romæ adjacentium, non teneri, ut supra.

« Tertio, Episcopos omnes, qui sunt inter Provinciam Capuanam et Pisanam, non teneri eligere Metropolitanum ad effectum præfatum. Eos nihilominus, qui, vel quorum Antecessores jam semel post Tridentinum elegerunt Metropolitanum, teneri stare electioni, prout etiam Episcopos, qui a Provincia Romana, inter dictas Capuanam, et Pisanam constituta, divulsi fuerint, et assignati suffraganei Ecclesiarum in Metropolitanas electarum, eidem subesse.

« Quarto, Episcopos vere immediate subditos Apostolicæ Sedi qui sunt extra præfatam Provinciam Romanam, ubicumque locorum existentes, omnino teneri eligere Metropolitanum, juxta Decretum Concilii Tridentini sess. 24, c. 2, *de Reformat.*, quatenus

ipsi, vel eorum Antecessores jam non elegerint.

« Quinto, Abbates, aliosque Prælatos inferiores nullius Diœcesis, habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, et populum, cum Territorio separato, teneri eligere Metropolitanum, ut supra.

« Sexto, Episcopos, Abbates, et Prælatos inferiores, qui debent, ut supra, eligere Metropolitanum, etsi non teneantur eligere viciniorum, debere tamen, juxta dictum Decretum Concilii Tridentini, vicinum eligere; quod est intelligendum de non nimis longe distante, habita ratione regionum.»

(45. Deinde *ibid.* num. 15, sic prosequitur: « Inter Episcopos, qui ut Metropolitanum sibi ad prædictum effectum eligerent, a Congregatione compulsi sunt, alter Patiensis fuit, Lucensis alter, sicuti legitur in Registris prædictæ Congregationis habitæ, ut dictum est, die 28 Maii 1725. Et hi quidem plura obtendere non omiserunt, ut Metropolitanum electionem declinarent, sed eorum contentiones, et studia in irritum cesserunt, rejectis eorum instantiis per eandem Congregationem habitam die 11 Februarii 1726. Cum vero felicis record. Benedictus PP. XIII, justis, gravibusque de causis Episcopatum Lucensem in Archiepiscopatum erexerit, nullo tamen ipsi adscripto Suffraganeo, ut patet ex ejus Constitutione incipient. *Inscrutabilis*, novo *Bullario* tom. 12. et cum Nos Papiensi Episcopatu unitum perpetuo voluerimus titulum Archiepiscopi Amasiæ in partibus Infidelium, sicuti videre est in nostra Constitutione, quæ incipit *Ad supremam*, in nostro *Bullario* tom. 1. num. 74. hinc uterque Præsul ab eligendi Metropolitanum lege immunis evasit, juxta primum superius inserti Decreti capit. Ad Episcopos vero quod spectat, qui Capuanam, et Pisanam Provinciam interjacent, multo ante fuerat pronunciatum, non adigi eos Metropolitanum eligere, sicut videri potest lib. 4. Decretorum Congregationis Conc. anni 1585. pag. 53. Sacr., etc., censuit, Decretum cap. 2. *de Reformat.* sess. 24. « non habere locum in Episcopis, qui sunt in Provincia Romana. » De Provincia Romana inter Capuanam, et Pisanam loquitur Innocentius III. in cap. *Sua nobis, de Officio Vicarii*. Nos de ipsa mentionem fecimus in superiori l. 2. cap. 2. n. 3. ubi etiam rationum momenta attulimus, ob quæ hujusmodi Provinciæ Episcopi ab eligendo Metropolitanum eximuntur. Itaque alteri huic relationis capiti finem imponentes, censuimus, facile ex dictis quemlibet Episcopum colligere posse, num ad eligendum Metropolitanum obstringatur, et quomodo de injuncti sibi oneris implemento docere debeat. » Hactenus laudatus Pontifex loc. cit.

(55. Episcopi suffraganei etsi decorentur pallio, in Bullis tamen ejus concessionis cavetur, ne quid præjudicii ex hoc inferatur eorum Metropolitanis, quin et vetantur illud ferre in præsentia Archiepiscopi. Bened. XIV. *de Synodo Diœces.* lib. 13. cap. 5, § 2. nov. edit.

(56. Pallii honore non decorantur latini Patriarchæ Titulares, quemadmodum nec Archiepiscopi in partibus; cum enim pallio nemo uti possit extra Provinciam suam, illi profecto alibi commorantur; *ibid.* § 17.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. De Regulari ad Episcopatum promoti magistralis, et numquam satis promerita est Decisio Sacræ Rotæ in Vilnen. Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum 3 Aprilis 1761. cor. R. P. D. Frangipani. In hac enim Decisione statuitur, quod ut primum Regularis ad Episcopatum promovetur, a jugo Regularis Observantiæ liberatur, liberamque acquirit facultatem donationem inter vivos faciendi ratione causæ piæ, et quidem etiam si Episcopus sit mere titularis, et agatur de Episcopo mere electo, modo electus sit a Summo Pontifice. Vide et alia ad materiam facientia in hac Decisione.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Duæ hic de Episcopo Titulari expendendæ sunt quæstiones. Prior est an Titularis Episcopus negligens consecrationem suscipere intra tempus a Concilio Tridentino sess. 23. c. 2. *de Reformat.* præfinitum, incurrat pœnas ab eodem Concilio inflictas, videlicet restitutionis omnium fructuum, si negligentia fuerit per tres menses a die Confirmationis; et privationis Episcopatus si negligentia fuerit per alios tres menses et sic per sex menses a Confirmatione.

(58. Negativa mihi arridet opinio. Ratio enim cur Concil. Tridentinum ita obligavit Episcopos, fuit, ut occurreret spirituali damno, quod necessario subditis afferre debebat dilata ab Episcopo in longum tempus suscepto consecrationis; Van. Espen. *Jur. Ecclesiastici univers.* part. 1. tit. 15. cap. 1, § 14. Hallier *de Sac. Ordination.* part. 3. section. 7. cap. 21, § 2. n. 16. (59. Hæc autem Concilii Tridentini ratio locum sibi vindicare nequit quantum ad Episcopos Titulares, utpote qui subditos habent habitu tantum, non item actu. (60. Non est igitur quod Episcopus Titularis negligens. Consecrationem teneri possit pœnis Concilii Tridentini, ut punctim firmat Hurtatus *Variar. resol.* num. 2. tract. ultim. resolut. 12, § 4. n. 720.

(61. Accedit quod juxta Concilium Tridentinum ut locum habeat pœna privationis Episcopatus, debet præcedere pœna restitutionis omnium fructuum. (62. At quomodo quantum ad Episcopos Titulares præcedere potest pœna hæc restitutionis omnium fructuum, si apprehendere ii nequeunt possessionem suarum Ecclesiarum, utpote ab Infidelibus occupatarum? Hinc igitur magis atque magis confirmatum remanet quod intelligere nequit Concilium Tridentinum *de Episcopis titularibus*, eo ipso quod circa ipsos servari nequit ordo ille pœnarum ab ipso Concilio Tridentino stabilitus, et religiosissime propterea servandus. Optime Rota in Vilnen. Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum 3 Aprilis 1761, § 14. cor. bon. mem. Frangipane.

Altera est an Canonicus qui simul sit Episcopus Titularis possit a Capitulo suæ Ecclesiæ Cathedralis eligi in Episcopum absque Brevi eligibilitatis? (63. Notum jam est quod Episcopus unius Ecclesiæ non possit in Episcopum alterius Ecclesiæ eligi, sed postulari debeat, cap. ultim. *de Postulat. Prælator.*, idque ex matrimonio spirituali, quod Episcopum inter ac Ecclesiam intercedit.

(64. Videtur autem posse eligi sine eligibilitatis Brevi eo quod regula de spirituali

EPISTOLÆ ECCLESIASTICÆ.

EX EDITIONE BARBELLINIANA.

SUMMARIIUM.

1. 2. Epistolæ, de quibus agendum, quænam sint? — 3. De illis scriptores. — 4. Litteræ autem, quas hoc articulo percensemus, sunt Apostolicæ. — 5. Canonicæ. — 6. Clericæ. — 7. Circulares. — 8. Commendatoriæ. — 9. Communicatoriæ. — 10. Con-

(1. Epistolæ nomen ad quævis instrumenta significanda sequiore ævo translatum est. *Hanc epistolam donationis* habet papyraceum instrumentum quinto sæculo Ravennæ scriptum. Quare decepti sunt, qui quod id nomen hac acceptione deinceps viderunt usitatissimum, a Gothis, Langobardis, et Francis illud ad nos derivasse existimarunt.

(2. Nos antiquo, et vere Latino more epistolæ hic sumimus, ab *ἐπιστολή* mitto sic dictas; unde Latinis ævo ad barbariem inclinate *missivæ* appellatæ sunt, ut apud Casiodorum. Neque vero alias ab Ecclesiasticis, et Canonicis hic indicabimus.

(3. Ac de his quidem epistolis non pauca invenies apud Baronium Tomo II, plura apud Hermannum Hugonem in egregio libello *de prima scriben. origine* c. 13, ac Trotzium, qui illum apud Batavos suis non tam auctum quam oneratum adnotationibus recudit. Sed ut Cabassutum, Pompeium Sarnellium in suis epistolis Ecclesiasticis epistola prima. Dodwellum *Dissertat. Cyprianicæ* pag. 17. Gonzalez in lib. 7. decret., tit. 22, cap. 3. Binghamum, aliosque, qui pro data occasione ad hoc argumenti genus excurrunt, omittam, fuere qui singularibus libris de hisce epistolis eruditissime egerunt, cum primis Gerardus Rodolphus Graviensis in opusculo *de literis Canonicis*, Coloniae 1572. Franciscus Bernardinus Ferrarius *de antiquo Ecclesiasticarum epistolarum genere*, Mediolani 1612. et curante Gebh. Theodoro Mejero iterum Helmstadii 1678. Philippus Priorius in dissertatione *de literis Canonicis cum appendice de Tractoriis et synodicis*, Parisiis 1675, et inter Protestantes Jo. Gaspar Thorspecken in diss. *de literis Canonicis*, Wittebergæ 1731. Hos ego auctores sequar in novo hoc quo Ferrarianam Bibliothecam augendam duxi, articulo, Neque tamen omnes Ecclesiasticas hujusmodi epistolæ percensebo (quod longioris esset commentarii, novæque quam paro, Hugoniani nuper indicati libelli editioni servare consultius reor), sed præcipuas, easque potissimum, quas in Canonibus, ac Decretalium libris memorari novimus. Utar autem in illis numerandis Alphabeti ordine.

matrimonio cessat quantum ad Episcopum Titularem, quippe qui vere et proprie Ecclesiam haud habet. (65. At contrarium, et quidem jure meritoque resolvit Christianus Thomasius in *Respons. Jur.* impress. post Programmata § 5, et plur. sequent., ea ductus ratione, quod Episcopum Titularem inter et Ecclesiam est spirituale matrimonium, adeoque carens ipse Brevi eligibilitatis nequeat ex matrimonio hoc spirituali eligi in Episcopum alterius Ecclesiæ.

cessoriæ. — 11. Confessoriae. — 12. Decretales. — 13. Diaconicæ. — 14. Dimissoriæ. — 15. Encyclicæ. — 16. Enthronisticæ. — 17. Festales. — 18. Formatae. — 19. Pacificæ. — 20. Paschales. — 21. Pastorales. — 22. Synodicæ. — 23. Systaticæ. — 24. Tractoriæ. — 25. Tractoriæ.

(4. Igitur *Apostolicæ* literæ sunt quævis epistolæ a Romano Pontifice Apostolica scriptæ auctoritate, sive Constitutiones sint, sive Brevia, rescripta, etc.

(5. *Canonicæ* eadem sunt, *communicatoriæ*, et *Formatae* de quibus mox.

(6. *Clericæ*, quarum occurrit mentio apud Cyprianum ep. 4. Pame. 1. edit. Illas Hugo intelligit, quæ a Clero scribi solent sede vacante, sed revera a Clerico, qui ad eas deferendas ab Episcopo, vel Clero mittebatur, sic sunt appellatæ: quæ de re fusius paulo post, ubi de diaconicis sermo erit.

(7. *Circulares*. V. *Encyclicæ*.

(8. *Commendatoriæ* epistolæ erant, quæ illustrioris conditionis hominibus, aut illis etiam, quorum existimatio fuerat in quæstionem vocata; Clericis quoque, ac Monachis, quibus esset in exteris regiones proficiscendum dabantur. Suscipientes autem ex illarum lectione dignoscebant, quemadmodum cum peregrinis agendum foret, quaque communionem donandi. Quod de Monachis diximus confirmat S. Hieronymus ep. 147. al. 48. *ad Sabinianum* his verbis: « quis non susciperet eum, qui se Monachum promittebat, præsertim ignorans tragœdias tuas, et Episcopi tui Commendatitias *ad ceteros sacerdotes epistolæ legens?* » Quod vero de illustrioribus viris asseruimus, ex Chalcedonensi Canone XI. sumpsimus; qui hujusmodi est: « Omnes pauperes, et indigentes Ecclesiasticis auxiliis eum proficiscuntur, sub probatione epistolæ, sive pacificæ, quæ dicuntur Ecclesiasticæ, tantummodo commendari statuimus, » et « Non Commendatitiis epistolæ: quia commendatitias epistolæ quas dicimus, eos tantum accipere convenit, qui in opere sunt clariores. »

(9. *Communicatoriæ* erant, quæ omnibus, qui in communione Ecclesiæ erant, cum eaque pacem colebant, concedebantur. V. *Formatae*.

(10. *Concessoriæ*. V. *Dimissoriæ*.

(11. *Confessoriae*. Hugo *captivorum literas* memorat, « quæ, inquit, nominantur in Concilio Lugdunensi secundo cap. 2. et ab Episcopis dabantur pro lapsis. » Addit continenter: « Fit earum mentio in Concilia